

scopi in canticum quindecim graduum, cui adjecit manus Sec XV. Qui perlegitur per 7. annos. Puto de Lectione in Triclinio religiosae cujusdam Familiae intelligendum esse.

CCCXXIX.

R. 10 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. 144. f. maj. eleganter per duas columnas exaratus, rubricisque distinctus, olim Congregationis S. Justine de padua, deputatus in monasterio sancti severini de neapoli, ut ad oram infimam fol. 1. dicitur, varia D. Augustini continet Opera, et hoc quidem ordine: I. Sermones LVI. atque inter eos, quod non nisi post diligentem inquisitionem adfero, XXV. ignotos, *avendores*, et, nisi me omnia fallunt, paene omnes Augustini genuinos, quos etiam typis Trattnerianis in lucem dedi a. 1792. f. unde mirum Codici huic pretium conciliatur, qui Benedictionum fuit, et maxime oculos Benedictionum, Maurianos nempe, effugit. Praemissus est illis Elenchus, in quo Sermones singuli Capitulum donantur nomine, quique sic habet: Sermo de laude Cerei. Capitulum primum. Inscriptio fol. 1. p. 2. Sermo sancti aug. ep. In Sabbato sancto. Init: Deo et domino nostro omnipotenti uisibilem atque inuisibilem creatori honorem deferens. orationibus uestris iuandum me credo. ut quod in laudem et gloriam indulgentissimi creatoris dicere suscepi. non tam meis uiribus quam ipsius domini miseri-

cordia adiuuante explicare sufficiam. Finit: Quis non letus aspiciat, iacere super terram catulum leonis occisum. Confirmatur hoc Sermone Cerei Paschalis antiquitas, cujus ellychnium etiam hic Autor papyrus vocat: Tria conspiciuntur in cereo. Cera papyrus et flamma. Quod adde Ducangio v. Papyrus. Ubi edit. Mauriana non meminero, Sermonem novum puta.

Item eiusdem. In uigiis paschae. Cap. II. Inscriptio fol. 2. Sermo Sancti Aug. ep. in uigiis paschae. Init: Multas diuinas lectiones audiuius. quarum prolixitati parem sermonem nec nos ualemus, nec uos capitis si ualeamus. Quantum ergo dominus donat. loqui uolumus caritati uestrae de ipso capite scripturarum. ubi cum legeretur audiuius. quia in principio fecit deus celum et terram. Finit prolixus: nisi in eternum uiuerent abraam. ysaac. et iacob.

Alius ejusdem. In die paschae. Cap. III. Inscriptio fol. 4. De die paschae. Sermo sancti aug. ep. Init: Post laborem preterite noctis &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 228.

Alius de sacramentis in eodem die. Cap. IV. Inscriptio fol. 4. p. 2. Incipit alius de sacramentis in eodem die. Sermo sancti aug. ep. Init: Reddendi sermonis officium et cura qua uos parturiuimus, ut christus formaretur in uobis. compellit uos ammonere infantiam uestram. Sermonem hunc illum puto, de quo Augustinus Serm. mox supra cit. ait: Sermonem ad altare dei debemus bodie Infantibus de Sacramento

mento Altaris. Pulcre vero hic inter alia: *Sacrificium iam nostri temporis corpus et sanguis est ipsius Sacerdotis.* — Cum timore et tremore ad participationem huius altaris accedite. Hoc agnoscite in pane, quod pependit in cruce, hoc in calice, quod manauit ex latere. — Accedite itaque et edite corpus christi, etiam ipsi in corpore christi facti iam membra christi, accipite et potate sanguinem christi. Ne dissoluamini, manducate uinculum uestrum, ne uobis uiles uideamini, bibite pretium uestrum. Finit: *Eritis secundum totum, quod catholon (καθ' ὅλον) uocatur, et unde catholica nominatur.*

Item alius de eodem die. Cap. V. Inscriptio fol. 5. Incipit alius de eodem die. Sermo sancti aug. ep. Init: *Sicut ueritas per apostolos sonuit, et in omnem terram exiuit sonus eorum, atque in fines orbis uerba eorum, pascha nostrum immolatus est christus.* Finit: *et effuso sanguine sine peccato, peccati cyrografum deleretur.*

Item alius in eodem die, contra arrianos et apollinaristas: maxime uero contra futuros nestorianos et eutichianos. Cap. VI. Inscriptio fol. 5. p. 2. Item alius sermo. Sancti aug. ep. in eodem die. Init: *Audiuimus euangelium, lecta est resurrectio domini nostri ihesu christi. Resurrexit christus, ergo mortuus est christus.* Finit prolixus: *qui etiam iacens in sepulchro, credentem latronem in paradysum introducere potuit.*

Alius eiusdem diei. Cap. VII. Inscriptio fol. 7. Item Ser. sancti

aug. ep. eiusdem diei. Init: *Sicut audistis predicari dominum christum.* &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 226.

Item alius in eodem die de sacramentis altaris ad neophitos. Cap. VIII. Inscriptio fol. 7. De sacramentis altaris. Ser. sancti aug. ep. in eodem die. Init: *Hoc quod uidetis karissimi in mensa domini panis est et uinum, sed iste panis et hoc uinum, accedente uerbo fit corpus et sanguis uerbi.* Ita per lineas 12. donec his uerbis: *Propter hoc quia et passus est pro nobis, commendauit &c.* incidas in Fragmentum, quod e Bedae et Flori Collectione vulgauerit Mauriani T. cit. pro Sermone 229. Fragmentum hoc illorum abrumpitur in uerbis: *simul bibimus: quia simul uiuimus.* At nobis Sermo integer lineis 57. procurrit usque in hunc finem: *Simul etiam onerandi non estis, ut ea quae dicta sunt teneatis.*

Alius eiusdem in eodem die, de eo quod neophitis ante baptismum ex oleo sancto aures a sacerdotibus et nares illinantur. Cap. IX. Inscriptio fol. 7. p. 2. Item Sermo sancti aug. ep. de eodem die. Init: *Omnis quidem sermo fratres karissimi &c.* Edit. Maur. T. VI. Append. col. 288. prostat una cum duobus sequentibus. Secuti sunt Editores Jac. Sirmundum, qui primus protulit, et Augustino detraxit, licet in Cod. Floriacensi, unde protulit, Augustino adscriberentur, et ejus nomine etiam citarentur ab Ivone Carnot. et altero Codice uetustissimo Remigiano. Cum porro noster etiam Codex in medio Sermonum genui-

genuinorum eos collocet, neque alia ratio contra eos militet, reddendi sane Augustino videntur.

Eiusdem de misterio et sanctitate baptismatis. Cap. X. Inscriptio fol. 8. p. 2. Item Sermo Sancti aug. ep. eiusdem diei. Init: Promissimus primo tractatu &c. Edit. Maur. T. VI. Append. col. 289. ut mox dictum.

Item eiusdem de unzione capitis et pedibus lauandis. Cap. XI. Inscriptio fol. 9. p. 2. Item ser. Sancti Aug. ep. de eisdem mysteriis. Init: Hucusque de mysteriis locuti sumus &c. Edit. Maur. T. VI. col. Append. 291. ut superius dictum est.

Alius eiusdem habitus in festiuitate paschali. Cap. XII. Inscriptio fol. 10. p. 2. Item ser. Sancti aug. ep. De festiuitate paschali. Init: Dies pasche nos celebrare omnibus notum est, quibus diebus alleluia cantamus. Quapropter fratres sollicitè attendendum est, ut quod uisibiliter celebramus, in animo teneamus. Finit: audiat quid Spiritus dicat ecclesis.

Alius eiusdem. Secunda feria pasche. Cap. XIII. Inscriptio fol. 11. Sermo Sancti aug. ep. in secunda feria pasche. Init: Hodierno die iam ecce tertio &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 239.

Alius eiusdem quartæ ferie. Cap. XIV. Inscriptio fol. 12. Sermo Sancti aug. ep. fer. III. pasche. Init: Et hodie lectio recitata est &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 248.

Item Quintæ ferie. Cap. XV. Inscriptio fol. 13. Sermo Sancti Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

aug. ep. in quinta feria pasche. Init: Et hodie resurrectio domini recitata est &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 245.

Item eiusdem de eodem die, ad sacramenta altaris. Cap. XVI. Inscriptio fol. 14. Sermo Sancti aug. ep. De sacramentis altaris. Init: Hoc quod uidetis in altare dei &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 272.

Item Sabbati die. Cap. XVII. Inscriptio fol. 14. Sermo Sancti aug. ep. Sabbato pasche. Init: Sermo michi est ad uos modo nati infantes, paruuli in christo, noua proles ecclesie, gratia patris, fecunditas matris, germen pium, examen nouellum, flos nostri honoris, et fructus laboris, gaudium et corona mea &c. Finit: tunc et uos apparebitis cum ipso in gloria.

Item alius in eodem die. Cap. XVIII. Inscriptio fol. 15. Item sermo Sancti aug. ep. in eodem die. Init: Hic est dies quem fecit dominus, exultemus et iocundemur in eo. Sicut domino deo nostro cantauimus, ita illo adiuuante faciamus. Omnis enim dies a domino factus est, non tamen sine causa de aliquo die precipue scriptum est. Hic est dies quem fecit dominus. Finit: que nunquam occasum faciat in cordibus uestris. Edit. Maur. T. cit. Sermo 230.

Item eiusdem in die octauarum. Cap. XIX. Inscriptio fol. 15. p. 2. Sermo Sancti aug. ep. in octauis pasche. Init: Resurrectio domini nostri ihesu christi &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 247.

Sermo eiusdem de ascensione domini. Cap. XX. Inscriptio fol. 16.

Sermo sancti aug. ep. De ascensione domini. Init: Resurrectio domini spes nostra &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 261.

Item eiusdem de psalmo Confitemini domino. Cap. XXI. Inscriptio fol. 17. Sermo sancti aug. ep. Init: Ammoniti sumus et per spiritum dei &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 29.

Alius eiusdem de uersu psalmi centesimi septimi decimi. Confitemini domino quoniam bonus est. Cap. XXII. Inscriptio fol. 17. p. 2. Sermo sancti aug. ep. Init: Confitemini domino quoniam bonus. quoniam in seculum misericordia eius. Quod nos uoce psalmi spiritus sanctus hortatus est. cui ore uno et corde uno respondehamus alleluia quod latine interpretatur laudate dominum. hoc uos et per nostram uocem idem spiritus sanctus exhortatur &c. Finit: Securus confitere domino quoniam bonus est. quoniam in seculum misericordia eius. Hunc Sermonem γῆσιον esse testatur etiam Indiculus Opp. Augustini a discipulo Possidio confectus c. 9. Edit. Maur. T. X. Append. col. 296.

Alius eiusdem de duobus temporibus. id est uite presentis et future. Cap. XXIII. Inscriptio fol. 18. p. 2. Sermo sancti aug. ep. Init: Meditatio presentis uite nostre in laude dei debet esse &c. Maurianis hic Sermo est Enarratio in Psalmum 148. adeoque legitur T. IV. col. 1672. productior; nobis enim clauditur his uerbis: Quoniam placet nobis quod ibi agunt angeli modo in spe, postea

in re. cum illuc uenerimus, sine defectu deum laudabimus. Quae illi sic: Modo nos spe, postea re, cum illuc uenerimus. Laudate ergo eum in excelsis. Minus recte, ut opinor. Ita et paullo ante pro inepto illo uocabulo jusum Noster legit in terra. Fieri igitur potuit, ut Augustinus tardius totum Psalmum 148. enarraret, postquam jam in Versum ejus 1. Sermonem peculiarem habuisset.

Alius eiusdem de alleluia. et principio psalmi centesimi quadragiesimi noni. Cantate domino canticum nouum. laus eius in ecclesia sanctorum. Cap. XXIV. Inscriptio fol. 19. Sermo sancti aug. ep. Init: Uenerunt dies ut cantemus alleluia. Adeste animo fratres. ad percipiendum. quae dominus suggerit ad exhortationem nostram. et nutriendam caritatem. qua nobis inherere deo bonum est. Adeste animo cantatores boni. filii laudis et glorie sempiternae ueri et incorrupti dei. adeste intenti. et laudate deum. hoc est enim alleluia. Sed laudate non solum in uoce. sed et in intellectu et in opere bono. Atque in his ultimis uocibus coincidit Noster cum Enarratione in Psalmum 149. T. IV. Maur. col. 1683. quam tamen mox deserit, et finit: quod in nostra edificetur fide. ut postea perficiatur in spe. Idem igitur de hoc Sermonem tenendum uidetur, quod conieci de praecedente.

Item alius de uersu psalmi. emendabit me iustus in misericordia. et de eo quod apostoli linguis omnium gentium loquebantur contra donatistas. in pentecoste. Cap. XXV.

XXV. Inscriptio fol. 20. Sermo sancti aug. ep. de pentecoste. Init: Inter alia diuina eloquia &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 266.

Alius eiusdem. de natali sancti iohannis baptistę. contra donatistas et omnes rebaptizatores hereticos. Cap. XXVI. Inscriptio fol. 22. Sermo sancti aug. ep. in natali sancti iohannis bapt. Init: Diei hodierni sollempnitas &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 292.

Item de eodem natali sancti iohannis ubi disputat etiam de uerbis zacharię non credentis. et marie inquirentis. quomodo fiet istud. et de originali peccato. pro quo paruulis baptismum necessarium dicit. Cap. XXVII. Inscriptio fol. 23. p. 2. Item sermo Sancti aug. ep. Init: Sancti iohannis cuius natiuitatem &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 293.

Sermo eiusdem de responsorio psalmi centesimi tricesimi primi. Parauit lucernam christo meo. ubi multa etiam de trinitate disputat. Cap. XXVIII. Inscriptio fol. 26. Sermo sancti aug. ep. De Festo beati Iohannis bapt. Init: Loquimur caritati uestre in domo dei, quod presens psalmus ammonuit. quis est qui dicat parauit lucernam christo meo. inimicos eius induam confusione. super ipsum autem florebit sanctificatio mea. et que illa lucerna sit quam parauit christo suo. et qui sint inimici christi eius quos per illam lucernam induit confusione. et que sanctificatio eius qui parauit lucernam christo suo. que florebit super christum eius. Finit prolixus: et in omnibus nobis unum

factis implebitur. super ipsum autem florebit sanctificatio mea. Sermo indicatus a Possidio supracit. c. 8. col. 293.

Sermo eiusdem in uigiliis apostolorum. Cap. XXIX. Inscriptio fol. 28. Sermo sancti aug. ep. In uigiliis apostolorum. Init: Omnia que modo leguntur de sancto euangelio. post resurrectionem domini gesta et dicta sunt. Audiuimus ergo dominum iesum christum. interrogantem apostolum petrum. interrogantem autem, utrum diligeret eum. Interrogabat ergo dominus seruum. magister discipulum. creator hominem. redemptor liberatum. firmitas trepidum. prescius ignarum. et ubi se faciebat interrogantem. ibi ostendebat docentem. Finit: Et pasce hędos tuos. Quare hędos tuos? Quia exis. pascis sicut donatus hędos tuos. Si autem non exis. pascis sicut petrus oues meas.

Alius eiusdem in natali apostolorum. ubi contra memoratos hereticos disputat. de adiutorio gratie dei. Cap. XXX. Inscriptio fol. 29. p. 2. Sermo sancti aug. ep. in natali apostolorum. Init: Hodiernum nobis diem festum fecit sanguis &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 297.

Alius eiusdem de natali sancti laurentii ubi per occasionem redarguit quosdam qui seditionem commouerant a saltatu prohibiti. Cap. XXXI. Inscriptio fol. 31. p. 2. Sermo sancti aug. ep. in natali sancti laurentii. Init: Propter fastidium auditoris. sermo subtrahendus fuit. sed propter obsequium martiris exhibendus. Ita ergo adiuuante domino

domino moderabitur. ut nec onerosus sit. nec forte diminutus, quantum sufficiente satis est. Illuxit dies romę sollempnissimus. qui magna frequentia populi celebratur. Adiungimur nos quamuis absentes corpore &c. Inter alia ad illustrandam Elenchi inscriptionem: Qui erant et quorum filii erant. quorum saltationes recenti et prope besterna memoria de loco sancti martyris cypriani prohibite sunt? — Apparuerunt quando prohibiti in seditionem tumuerunt. Similia habet sanctus Doctor Serm. inter editos 311. Noster finit: diuersis temporibus uocati sunt. sed uno tempore merces omnibus persoluitur. Prolixus.

Sermo eiusdem habitus cartagine ad mensam beati martiris cypriani. de eius natali. Cap. XXXII. Inscriptio fol. 34. p. 2. Sermo sancti aug. ep. In natali Sancti cypriani. Init: Sermonem a nobis debitum &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 309.

Alius eiusdem in eodem die. Cap. XXXIII. Inscriptio fol. 35. Item sermo Sancti aug. ep. Init: Diei tam grati letique sollempnitas &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 312.

Item eiusdem in eodem die. Cap. XXXIV. Inscriptio fol. 36. p. 2. Item sermo sancti aug. ep. Init: Sancta sollempnitas beatissimi martyris. que nos in nomine domini congregauit. de meritis et gloria tanti martyris exigit aliquid digne dici. Virtutibus enim eius et gloria posset forte humana lingua sufficere, si se uoluisset ipse laudare. Finit: Non enim aram constituimus tanquam deo cypriano. sed uero deo aram fecimus cyprianum.

Alius eiusdem in eodem die. Cap. XXXV. Inscriptio fol. 37. p. 2. Item sermo sancti aug. ep. Init: Psalmum cantauimus. benedictus dominus, qui non dedit nos in uenationem dentibus eorum. Donis dei debita gratulatio. benedictus dominus qui non dedit nos in uenationem dentibus eorum. Uox est certe gratulationis. et digna gratulatio. Et quando tantis donis diuinis humana sufficit gratulatio? Finit: Certe isti omnes aut pene omnes quorum uoces audio exultantium. filii sunt insultantium.

Alius eiusdem in natali sanctorum martyrum Scilitanorum Sperati et sociorum eius. Cap. XXXVI. Inscriptio fol. 39. Sermo sancti aug. ep. In natale sanctorum martyrum scilitanorum. Init: Martyres sancti. testes dei. ne uiuendo morerentur, moriendo uiuere maluerunt. ne timendo mortem negarent uitam, amando uitam contempserunt uitam. Ut negaretur christus, uitam promittebat inimicus, sed non qualem christus &c. Finit: ciuitas omnium martyrum. ciuitas omnium bonorum fidelium. christus ipse fundauit eam in æternum. In titulo Sermonis 155. T. V. meminere Mauriani Basilicę SS. Martyrum Scilitanorum, uerum nihil ultra. Possidius tamen Indic. cit. c. 9. Sermonem nostrum adsignat.

Alius eiusdem in natali sanctorum machabeorum ubi docet quid etiam significetur in turre edificanda. et sumptibus preparandis. uel in rege qui cum decem millibus occurrit illi qui habet uiginti millia. Cap. XXXVII. Inscriptio fol. 40.

p. 2. *Sermo sancti aug. ep. In natale sanctorum machabeorum. Init: Euangelium, et uerbum dei uiuum, medullas anime penetrans. et cardinem cordis inquirens. salubriter profertur omnibus nobis. nec quenquam palpat. si se homo non palpet. Ecce propositum est nobis uelut speculum. in quo nos omnes aspiciamus &c. Finit prolixus: Tanto enim erit maius gaudium. quanto magna modo tristitia. Sermo notabilis habitus Bullae Regiae ab Augustino in transitu rogato contra Theatra et Mimos. Inter alia Bullensibus proponit vicinam civitatem Simittum. Legatus uoluit ibi agere huiusmodi turpitudines. Nullus principalis, nullus plebeius intrauit. Nullus iudeus intrauit. &c. Et prius: Dicitis fortasse. Bene uos ab istis abstinetis. qui clerici estis. qui episcopi estis. non autem nos layci. Itane uero. haec uox uobis iusta uidetur? Quid enim sumus nos, si peritis uos? Aegre calamum retraho.*

Alius eiusdem in natale plurimorum martyrum de eo quod in euangelio dominus dicit. Si quis uult post me uenire neget seipsum. Cap. XXXVIII. Inscriptio fol. 43. In natale plur. Mart. Sermo sancti aug. ep. Init: Beatorum sollempnitas martyrum et expectatio &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 330.

Alius eiusdem de uersu psalmi beatus uir quem tu erudieris domine. et maxime de eo quod dicit apostolus. cum enim essemus in carne, passiones peccatorum que per legem sunt operabantur in membris no-

stris ut fructum ferrent morti. contra manicheos et pelagianos. Cap. XXXIX. Inscriptio fol. 44. Sermo sancti aug. ep. Init: Audiuimus concorditerque respondimus &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 153. Abrumpitur in Codice in his uerbis: quia mortuum est dixit, absconditum latet: non ap — Excidit nempe folium unum.

Alius eiusdem de originali peccato. et de lectione apostoli. Quid ergo dicemus? lex peccatum est? absit &c. contra pelagianos. Cap. XL. Incipit fol. 47. ἀνεφαλος ut dixi: tuorum neque nubent neque uxores ducent. Non enim incipient mori &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 154.

Alius eiusdem de lectione apostoli ad romanos. ab eo loco ubi dicit. Igitur ego ipse mente serui legi dei. carne autem legi peccati. contra pelagianos. Cap. XLI. Inscriptio fol. 49. Item Sermo sancti aug. ep. Init: Hesternae lectio sancti apostoli eo usque &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 155.

Alius eiusdem de lectione apostoli ubi dicit. ergo fratres debitores sumus. non carni ut secundum carnem uiuamus. contra pelagianos et philosophos stoicos et epicureos. Cap. XLII. Inscriptio fol. 52. p. 2. Item sermo sancti aug. ep. Init: Uerbi dei altitudo exercet studium &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 156.

Sermo eiusdem de lectione apostoli. Humanus sermo et omni acceptione &c. contra pelagianos nestorianos et eutichianos. Cap. XLIII. Inscriptio fol. 55. Sermo san-

Ei aug. ep. Init: Audiuimus beatum apostolum paulum dicentem &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 174.

Alius eiusdem de eo quod dicit apostolus. humanum dico propter infirmitatem carnis uestre. et cetera. Cap. XLIV. Inscriptio fol. 57. Sermo sancti aug. ep. Init: Prestitit dominus deus noster cui gratias simul agimus ut uideremus uos et uideremur a uobis. Et si hoc est unde impletum est gaudio os nostrum, et lingua nostra exultatione. quia uidimus inuicem in carne mortali. quale erit gaudium nostrum. quando ibi nos uidebimus ubi nihil de nobis inuicem. timeamus. Finit prolixus: cymbalum tinniens quod destitit in templis ipsorum. remansit in ore ipsorum.

Alius eiusdem de lectione apostoli ad philippenses. Nos sumus circumcisio quia spiritu dei seruiamus. et gloriamur in christo ihesu. et cetera. contra pelagianos. Cap. XLV. Inscriptio fol. 59. p. 2. Sermo sancti aug. ep. Init: Ad apostolicam lectionem aures et animum &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 169.

Sermo eiusdem de lectione apostoli ubi ait. Supereminentem uiam uobis demonstro. contra donatistas. Cap. XLVI. Inscriptio fol. 64. Sermo sancti aug. ep. De Caritate. Init: Bonum est loqui de caritate eis. qui diligunt eam. qua bene diligitur, quicquid diligitur. est enim secundum apostolum in caritate supereminetissima uia. Modo legebatur. audiuimus. Narrat Augustinus. condemnationem Crispini, causam

Majorini et Caeciliani ad Proconfulem Anullinum, ad Constantinum Imp. ab hoc ad Meltiadem et Marcum, ad Iudicium Arelatense translata, et alia, quae ad illustranda et confirmanda ejus contra Donatistas alibi Scripta seruiunt. Finit prolixus: Hec audite fratres cum timore, ne superbiatis. cum caritate, ut etiam pro illis oretis. Notat Possidius Indic. cit. c. 9. Tractatus five Sermones de Caritate duos.

Alius eiusdem de responsorio (Psalmi) tricesimi octauo. Exaudi deus orationem meam et precem meam domine. et de muliere in adulterio deprehensa. Cap. XLVII. Inscriptio fol. 68. Sermo sancti aug. ep. Init: Christianorum est cotidie in deum proficere. et de deo uel de donis eius semper gaudere. Peregrinationis enim nostrae tempus breuissimum est. et patria nostra sine tempore est. Inter eternitatem enim et tempus multum distat. Finit prolixus: Ut boni filii ad patriam tendamus. ut cursus noster approbetur. et perducatur.

Item alius de responsorio psalmi tricesimi secundi. Exultate iusti in domino. Cap. XLVIII. Inscriptio autem fol. 71. p. 2. Sermo sancti aug. ep. De diuite et lazaro. Init: In dei laude gaudere, et laudi dei uiuendo congruere. ammonet nos quod modo cantauimus. Exultate iusti in domino. reftos decet laudatio. Si enim reftos decet. prauos non decet. Qui autem refti, ipsi etiam iusti sunt, quibus dicitur ut exultent in domino. Finit prolixus: Dimit-

Dimittamus illum. tantum nos curandos demus. non medico. consilium prebeamus.

Alius eiusdem de responsorio psalmi quinquagesimi primi. Speravi in misericordia dei in eternum. Cap. XLIX. Inscriptio fol. 74. Sermo sancti aug. ep. Init: Primo respondeam fratri et collegae meo. Ego mane inquietam dixi debere esse caritatem, non pigram. sed quia hoc uoluit. nos obaudiamus et illi, et deo per illum et uobis et det in uobis obedientiam. Cantauimus. Speravi in misericordia dei &c. Finit breuior: Sit spes tua in terra morientium. et erit portio tua in terra uiuentium. Notatus Sermo in Indic. Possidit c. 8. uti et Sermo de Caritate inquieta, qui nostrum prolicuit, sed adhuc quaeritur.

Item alius de uersu psalmi centesimi quadragesimi quinti. Laudabo dominum in uita mea. Cap. L. Inscriptio fol. 74. p. 2. Sermo sancti aug. ep. Init: De uerbis istius psalmi quem modo cantauimus. donet dominus ut uobis loqui ualeamus. Diximus enim. laudabo dominum in uita mea. psallam deo meo quam diu uiuo. Quibus uerbis hoc primo ammoneamus caritatem uestram. ne cum auditis uel dicitis, quamdiu uiuo psallam deo meo. existimetis cum haec uita finita fuerit, finire nobis laudem dei. Finit: Hoc discitur in scola christi doctoris. hoc speratur ab animo fidelis auditoris. Haec est merces uerissima saluatoris.

Alius eiusdem ubi domini uerba ad nicodemum loquentis exponens

de originali peccato. Cap. LI. Inscriptio fol. 75. p. 2. Sermo sancti aug. ep. Init: Natali sancti iohannis inter cetera &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 294.

Item alius de euangelio ubi de diuite et lazaro mendico refert. Cap. LII. Inscriptio fol. 80. Sermo sancti aug. ep. de diuite et lazaro. Init: Christianorum fides que ab impiis et infidelibus irridetur. haec est. quia nos dicimus esse aliam uitam post istam uitam. et esse a mortuis resurrectionem. et esse post transactum seculum in fine iudicium. Finit valde prolixus: quia et ipse requiem presentem desiderauit, et penas sempiternas inuenit. Fratres karissimi. eligite potius duriora que sine fine requiem habebunt in eternum. Sermo citatus a Possidio Indic. c. 8.

Alius eiusdem de euangelio, nisi manducaueritis carnem filii hominis, contra pelagianos. Cap. LIII. Inscriptio fol. 84. Sermo sancti aug. ep. Sabbato ante palmas. Init: Audiuius ueracem magistrum &c. Edit. Maur. T. V. Sermo 131.

Item alius unde supra. Cap. LIV. Inscriptio fol. 85. p. 2. Sermo sancti aug. ep. unde supra. Dominica XIV. Init: Si consideremus fratres ante gratiam domini &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 163.

Alius eiusdem de euangelio ubi dicitur. Si manseritis in uerbo meo: uere discipuli mei eritis. Cap. LV. Inscriptio fol. 87. p. 2. Sermo sancti aug. ep. Init: Nouit caritas uestra omnes nos habere unum magistrum &c. Edit. Maur. T. cit. Sermo 134.

Ultimus hic Sermo LVI. deest in Elencho; inscribitur autem fol. 89. FERIA IV. ebdomadę primę de quadragesima. Sermo sancti aug. ep. contra manicheos. Init: *Ea que de sancto euangelio recitata sunt fratres karissimi si omnia pertractare cupiamus. uix tempus sufficit singulis. quantomagis non sufficit omnibus. Ionam prophetam qui deiectus in mare belugę maris utero exceptus est. et die tertia uiuus e-uomitus. figuram gessisse saluatoris qui passus est et die tertio resurrexit. ipse saluator ostendit. Finit prolixior: Adducite ad lauacrum baptismatis quos potestis. ut sicut filii fuistis quando nati estis. sic etiam ducendo ad nascendum matres christi esse possitis.* — En igitur, quantum a rarissimo et valde castigato hoc Codice, cuius *Αντρυγα-φα* etiamnum latent, Sermonibus diui Doctoris adcreseat!

II. fol. 92. sequitur Eiusdem Enarratio in Psalmum CXVIII. constans Sermonibus XXXII. et Prooemio, ut Edit. Maur. T. IV. col. 1277. Nobis. minio inscribitur: *Incipit prephatio psalmi CXVIII.* et inquit: *Psalmos omnes ceteros quos commentario nouimus contineri &c.* Abstini in praecedentibus a variae lectionis, quae affatim subpetit, Specimine, quod ipsi Sermones noui Codicem satis commendarent; hic vero excerptum Prooemium, cuius ipsum initium ab Editis iam differt, ut collatione liquet. Habet dein Noster *ob consuetudinem pro Ecclesiae consuetudine*, item propter altitudinem pro propter ejus profunditatem,

item *meę intentionis pro nostrae*, item *Et nunc quia dicendi pertractatione quomodo quid in eo possim prorsus ignoro, de cetero tamen ut aliquid possim, affuturum atque adiuturum inuoco deum*, quod aliter in Editis, item Sic enim feci in omnibus, quęcumque cum prius &c. pro fecit in omnibus, quaecumque sufficienter, cum prius &c. item *delectari assolet cantilena pro assolent cantilenę*, item de ipso psalmo est loquendum, de quo istud fuit preloquendum pro jam de ipso est loquendum, de quo istuc visum est preloquendum. Ita per decursum multa etiam notatu digniora. In verbis ultimis Sermonis ultimi, quam nostri vel latine — scriptionem abruptit Librarius adjecto: *Explicit. Deo gratias.*

III. fol. 125. minio *In nomine domini. Incipiunt breues retractationum beati Augustini episcopi.* In hoc Elencho, prout etiam in ipso L. I. omissum est Caput VI. sive *Disciplinarum Libri*, fortasse, quia hi Libri ad nos non peruenere. Opus ipsum praescribitur: *In hoc corpore continentur retractationum Sancti aug. ep. libri. II.* At vero a Cap. XXIV. L. II. sive *de Genesi ad literam*, atque adeo ab his verbis: *secundum quam factus est, perdidisse peccato* — Membranae exciderunt. Codex cum Editis T. I. Maur. probe consonat, neque in Praefatione aliud reperi, quam *judicialia sententia pro severitate*, item *ensoris stilo pro censorio*, denique *reuocare et emendare pro reuocare emendanda.*

IV. fol. 141. ob memoratam membranarum jacturam ἀκεφαλως incipit Commentarius in Evangelium Marci, quem olim Hieronymo tributum magno consensu hodie repudiant Eruditi, quorum sententias collegit Oudinus de Scriptt. Eccl. T. I. col. 844. Vallarsius vero illum, ut lectu non indignum T. XI. Opp. Hier. col. 783. repraesentavit. An in Codice nostro Hieronymi nomen praetulerit, dicere non habeo; quae enim supersunt, ab iis Cap. XIV. verbis ordiuntur: — paratur domino pascha. Dominus domus petrus apostolus est, cui dominus domum suam credidit, ut sit una fides sub uno pastore. &c. Textus Evangelistae non integer nobis insertus est, ut apud Vallarsium, qua in re is chartae parcere poterat. Variat etiam lectio. Ita Noster pecuniae amore madefactus melius pro affectus, item frangitur in panibus pro in passionibus, item nec sitis extinguitur pro nec sitim extinguit, item non omnes emundat pro emundat. At vero corrupte Noster et ἀλογως: Ubi felicius est, sacrificium non emundat pro Sunt enim in ecclesia quos sacrificium nullum emundat. Finis, ut in Editis: et Luca concordans enarrat. Verum hederam subnexuit Librarius noster hanc: Hunc libellum breuiter comprehensum qui imitando perscrutatus fuerit. regna ei patebunt eterna. Lege ergo. et imitare assidue.

CCCXXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3067
XII. Folior. 148. f. per duas columnas a prima manu perbelle scriptus, sed deinceps subpletus et emendatus, rubricis distinctus, et olim Monasterii Cist. S. Mariae in poumgartenberge complectitur S. Augustini Sermones de Verbis Domini, sive in loca Matthaei, Lucae et Iohannis praecedente Capitulari. Ordo, quo procedunt, Vetus ille est, quem Mauriani in Vestibulo Tomi V. repraesentarunt; itaque et illi etiam dum immixti sunt, quos maturior Crifis deinceps in Appendicem ejusdem Tomi reposuit. Paulo difficilius mihi fuit Sermonem nobis XIII. fol. 32. deprehendere, quod Mauriani ejus principium mutaverunt. Cum enim nobis ineat: Cum sanctum euangelium legeretur, audiuius nauiculam periclitantem &c. maluerunt illi Codicibus optimae, ut ajunt, notae adducti ordiri: Audiuimus et quodammodo vidimus in lectione praesenti navicellam periclitantem &c. et sic Sermonem ad col. 131. Append. ablegare, quem, cum ipsi praevie fateantur, in suis illis Codicibus Eraclii nomen praefere, non video, cur non alteri Eraclii Sermoni Augustinianis genuinis col. 1523. continuo subdito potius adjunxerint. Sermonibus his de Verbis Domini additus est postremus Sermo S. Augustini de scripturis ueteribus ac nouis contra arrianos, qui incipit: Sancta et diuina eloquia fratres iugiter &c. Commune id esse